

cum textu Euripidis pluribus in locis perpurgato. Hodie vero utrumque librum ea qua debui cura inspexi, et nonnullis in locis meliora edoctus, paucissima quidem in textu immutavi, ceterum quae infra commemorantur omnino probanda puto.

Recte, opinor, fecit Badhamius, quod in v. 184 ἀνεβόασεν omiserit, et lacunam ante αἰάγμασι significaverit. Scripsit poeta, nisi fallor, ὅτι ποτ' ἔλακεν, δύστηνος αἰάγμασι στένουσα, nam τε in v. 174 recidendum nunc sentio: *qui naeniam mittat Proserpinae ad loca lugubria*. Ceterum in v. 180 ipse nunc ἔλικ' ἀνὰ χλοεράν emendavi pro ἔλικά τ' ἀνὰ χλόαν, ubi parum recte se habet τε, nec ἔλιξ Atticis adjectivum, sed substantivum semper est. Similiter in Hes. *Opp.* 587, pro εἴη πετραίη τε σκιή legendum est εἴη πέτρη τε σκιερή.

Recte fortasse idem Vir doctus in v. 264 τὰς τύχας corruptum putat. Potuit vel κληδόνας vel συμφορὰς dicere, nisi forte τύχας maluit κατ' εὐφημισμὸν locuta Helena.

v. 279. ἀφ' οὗ Badham. pro οὔτος.

v. 289. Corruptum esse hunc versum nunc plane perspicio, Hermanni et Pflugkii incuria olim deceptus. Profecto locus difficillimus est, nec feliciter emendavit Clarkius, in eo tamen laudandus, quod sanum esse vulgatum negavit. Deesse crediderim versum, quo dixerit mulier se vereri ne cives sui, credentes Trojanam illam Helenam (τὸ εἶδωλον αἶκίτ) simul cum Menelao perisse, (confer autem v. 126, ὡς κείνος ἀφανῆς σὺν δάμαρτι κλήζεται,) seipsam (veram scil. Helenam) praeter spem reducem custodiae darent, vel etiam occiderent, tanquam falso simulantem, se veram ac vivam esse Menelai uxorem. Ceterum totius orationis tenor sic fere olim scriptum fuisse ostendit:

τὸ δ' ἔσχατον τοῦτ', εἰ μὴλοιμεν ἐς πάτραν,
κλήθροισι ἂν εἰργοίμεσθα· τὴν δ' ὑπ' Ἰλίῳ
δοκοῦντες Ἑλένην Μενέλεω θανεῖν μέτα,
[κτεῖνοισιν ἂν με δόλια μηχανωμένην.]